THESES MEDICAE INAUGURALES.

THESES MEDICAE INAUGURALES,

QUAS,

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,
JACOBI PIERS. THOLEN,
A. L. M. Jur. Utr. & Phil. Doct. Mathes. Architect. Milit. & Geographiae Professoris Ordinarii,


NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,


ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
Publico Examini Submittit
JELLE BANGA
Franequera Frisius.

A. D. XVIII NOVEMBRIS, MDCCCVII. *H. L. Q. S.*



LEOVARDIÆ,
APUD D. v. d. SLUIS, REIP. & ACAD.
TYPOGR. MDCCCVII.





LECTURIS MONITUM.

Anno hujus seculi sexto ineunte Aestumatissimus Noster Praeceptor MULDERUS *in lectione privatâ Anatomiam* Cyclopis, *sive* Monoculi *exhibuit, inde a quo tempore, licet jam saepius aliorum monstrorum vitulinorum, ovillorum, porcinorum, sectionibus interfuissem, magis magisque mihi arrisit Monstrorum Anatomia, quare jam Academiam valedicturo commodam mihi pro Dissertationis scopo praebere visa fuit materiem* CYCLOPUM HISTORIA, *huc illuc variis in libris magni voluminis dispersa, in qua pro parvo virium modulo simplicem exponerem speciminum, quae ipse vidi, & ab aliis observata prostant, descriptionem atque comparationem: — Causas hujus aberrationis, quantum tironis valerent vires, inquirerem; — & tandem ad Summi Numinis gloriam, Naturae conamina, quibus in Corpori-*

bus organicis quoslibet in ſuis operationibus a normali lege recesſus omni curâ reſarciret, atque unitatem, mutuamque partium & functionum conſpirationem ſervaret, adumbrare conarem.

In hisce itaque elaborandis quum per aliquod tempus occupatus fueram, ex inproviſo accidit Promotorem meum Aestumatisſimum MULDERUM *ex almâ hacce Muſarum ſede Groningam verſus arcesſiri, qui caſus infelix noſtrae futurae gloriae laetam ſpem eludit!*

Accipite itaque hasce qualescunque Theſes Inaugurales, quas temporis angustia nobis, quamvis invitis, conſcribere licuit, & favete!

Interim, ſi vita, ſanitas, atque Studiorum amor noſtro in animo ſat vigeant, quam cito fieri licet, Vobis nostram Disſertatiunculam offeremus.

MAN-

MANTISSA THESIUM.

I.

Maxime ſemper in deliciis habui Anatomes ſtudium, unicum, ut puto, Medici rationalis, qui omni ſtudio mortalium miſerias curare, ſuoque officio ex animo defungi exoptabit, verisſimum fundamentum. Omnibus certe Natura mortis inpresſit horrorem, atque inde plurimis cadaverum exploratio, diurna, nocturnaque in eorum contubernio commoratio tristisſimum videbitur opus, inpendentisque fati horrificum praeſagium. Ast enim vero totam in hisce paginam abſolvunt ſumma artis necesſitas, de quâ certe nulla

controverſia, conſuetudo, & ſumma delectatio, quam homini verae pulcritudinis gnaro praeſtat cadaverum, tam humanorum, quam brutorum, perscrutinium, quorum minimae partes Creatorem laudant, ſummamque Ejus ſpirant Sapientiam. Haec autem licet maxime ſpectant cadaverum debitam juxta normam organiſatorum fabricam, nequaquam tamen negligendam esſe puto, ſummorum & virorum auctoritate, monſtrorum indagationem, quum certe haud parvam praebeat delectationem Naturae aberrationum perscrutatio, atque ipſa quidem rei irregularis novitas. Si enim verum, totam Procreationis functionem juxta debitam, perfectamque normam inpenetrabili tegi involucro, quanto magis ſtupefacti admirabimur Naturae conamina, quibus a recto tramite devia omnes fere ſuperat cauſas occaſionales ſuam agendi normam turbantes, & in maximis ſuis aberrationibus inexplicabili ſaepe modo maximam exponit Divini Numinis Sapientiam.

II. Plu-

II.

Plurimae, quibus inde ab HIPPOCRATE ad nostra usque tempora Viri Docti explicarent maxime absconditum & vere divinum Naturae opus, *novi cujusdam corporis organici formationem*, Hypotheſes, explicandi rationis congruae inopiam luculentisſime ſistentes, in duas dispescuntur clasſes. Prima agnoscit Summum Numen inmediate agens, in qualibet procreationis actione inmediate, ex commixta parentum geniturâ, futurum efformans foetum. Hoc ſi esſet verisſimum, quae tunc, quaeſo, nostrae perscrutationis ratio? — Altera vero in corporibus organicis facultatem, ſuum quodque genus procreandi atque conſervandi privam, a Naturâ concesſam, ſupponit. Duplex autem hujus explicatio: nempe, quod ab omni aevo jam praeexſtitit, vel in virili geniturâ, ſub ſpecie animalculorum ſpermaticorum, vel in feminino ovario, ſub ovuli formâ, futurum corpusculum: haec audit SYSTEMA EVOLUTIONIS. — vel quod ex utraque parentum genitura, nondum ef-

formatâ, justo tempore & loco depositâ, novum efformatur corpus organicum: vocatur haec SYSTEMA EPIGENESEOS. Hujus vero ultimae Theoriae iterum variae modificationes, uti illa viri summi BUFFONI, Cl. REILII, DARWINI, & novissime Cel. BLUMENBACHII, sub titulo *Nisus Formativi* satis cognita. Haec vero omnia ulterius discutere non hujus loci esse duximus, hisce modo contenti, quod omnia, quae de stupendo procreationis negotio certa scimus, eo redeunt, quod corpusculum quoddam organicum novum, ut plurimum ex intimâ duorum aliorum ejusdem speciei, diversae attamen sexus unione productum, eo, quo primum apparet tempore, semper cum alio simili, multo quidem majore, corpore cohaereat, a quo non nisi minore enucleatione differt, & cui pedetentim minus evadat dissimile. Denique a majore isto corpore separatum sensim magis increscit, eique, quantum potest, simile evadit. —

III. Ae-

III.

Aeque ac in obscuro quam maximum haerent novi corporis procreationis caufae proximae, fic et inpenetrabili, uti videtur, involucro Natura nobis obnubilavit increscentis enucleationis methodum, quamdiu novum corpusculum cum alio majori cohaereat, unde liquido patet, quantâ premitur difficultate Naturae aberrationes in corporum primâ organifatione explicandi ratio. Quantae molis fuit convenientem hac in re excogitare Hypothefin, vel ex ipfis quorumlibet fere obfervatorum conaminibus certum esfe puto, quin quos omni ftudio cognitam Hypothefin vindicasfe, novas propofuisfe, faepius autem anxios atque dubios nil contendere aufos fuisfe, videamus.

Nonnulli, quibus certe omnium maxime aqua haeret, maternae imaginationis vim in foetum pro caufâ ejus deformationum proximâ agnoscunt, quae theoria pristinis temporibus multa fuit. Plurimi attamen hodierni illam fpernunt, atque irrident; licet huc illuc taciti ejus exftent propugnatores. Certe non negamus

 ma-

maximam esſe maternarum impresſionum in uterum foetumque incluſum actionem, uti probant vehementiora terroris, perturbationis, aliorumque animi pathemata, in menſtruantibus irregularem ſaepe fluxum, in gravidis haemorrhagias atque abortus provocantia. Attamen magna ſuperest difficultas. Statuunt enim hujus Doctrinae Magistri foetum normaliter fabricatum inexplicabili ratione per imaginationis vim in vires, quibus perficitur foetus enucleatio, agentem deformari. Obtinet hoc, (& quidem necesſarie) primis graviditatis menſibus, & videtur, judice SPRENGELIO, melius tribui posſe vitiis enucleationis, quam quidem originario cuidam vitio in primordiali germinis conformatione. Sed ſi verum, tum & in brutis animalibus, quin & in plantis, eadem imaginationis vis agnoscenda. Neque hae deformationes leviores ſunt, caput v. c. pectus, extremitates majores, aliaeve partes maternae imaginationis vi deſtructae perhibentur, quas tamen foetus ante infelicem istum caſum posſidebat integras. Denique plurimorum istorum foetuum, quos hac ex cauſâ deformatos dicunt, ne minima qui-

dem

dem faepe cum re imaginatâ fimilitudo occurrit, unde tanta in humaniore homine requiratur imaginatio, qua figmentum eruat, quanta vix in matre fuisfe fupponi poteſt.

Alii probare tentarunt vitium haerere in primordiali germinis conformatione, absque eo, quod alia quaedam concurrat caufa accidentalis, quas deformationes *Monſtra Primigenia* vocant. Summum hujus Theoriae argumentum eſt maxima partium confpiratio, & ad praefinitum ufum adaptatio, quin & in longisfime a debitâ normâ deflectentibus monftris probe confpicua: ,, quam quis cafu fortuito natam inpie ,, diceret, quum in iis inmenfae Sapientiae effectus ,, non minus dilucide proſtant, quam in omnibus, ,, quae juxta confuetas Naturae leges in rebus creatis ,, occurrere folent" (v. DOEVEREN in *Spec. Obſ. Acad.* p. 23.)

Licet quam maxime vereor nefandae inpietatis in me contrahere labem, & fummâ cum admiratione Divini Numinis in ipfisfimis Monftris fapientiam fupplex adoro, mihi faltem haecce Theoria incurrere videtur con-

contra conspicuam Dei Legem, *procreationem atque specierum continuationem*, cui quidem pleraque, si ulla, monstra satisfacere nequeunt, quum nonnullis plane aliena partium genitalium sit conformatio, aliis vero longe plurimis vita absolute denegata deprehenditur, vel ex malà partium constructione, vel ex causis mox post nativitatem infestantibus.

Alii denique tantum causas occasionales admittunt, directe vel indirecte foetum nocentes: — *directe* ex perversâ partium utero vicinarum, vel hujus ipsius visceris constructione, vel ex aliis corporibus incongruis simul cum foetu in utero inclusis; — *indirecte* per vim quamdam externam matri gravidae illatam. Haecce Theoria magis rationalis atque optima videtur, licet plures dentur deformationes, in quibus juxta hancce regulam explicandis nobis quam maxime aqua haeret, v. c. in foetibus inversis, quos mirabilis sane structurae plures a Cl. MULDERO dissectos vidi, & ipse exploravi. Minor certe difficultas in eo videtur, quod secundae Theoriae propugnatores objiciunt, *summam* nempe *partium structurae regularitatem*, *atque elegantem normam*:

mam: hoc enim, ut primarium ubique confpicuum & infeparabile Naturae opus, quod nova corpora producat, producta nutriendo confervet, incongrua vero curet, & deftructa reproducat. Maximum hic momentum foetus tenerrimi enucleatio, cujus certisfimum inpedimentum est quaelibet presfio in teneram adeo fubftantiam, quâ presfione fuccumbentibus Naturae conaminibus, aliorfum magis, fi adhuc fatis vigeant, diriguntur enucleationis vires, quod ubique fere obvium puto, vel in externâ corporis conftitutione folito magis robustâ atque nutritâ, vel in internarum quarundam partium, osfium maxime, majore efformatione. Sin autem Natura iteratis, quibus fibi infestas fuperaret caufas, conaminibus plurimum fuerit exhausta, vix damnum illatum refarciri potest, unde & tunc tenerior corporis conftitutio, minor regularitas, majorque deformatio.

IV.

Nifi me quam maxime fefellit vifus, BLUMENBACHII de Diploes in osfibus planis origine fententia est refutanda, tuenda vero SWIETENII, AL-

BINI

BINI aliorumque opinio. (BLUMENB. *geſchichte der Knochen* §. 26)

V.

Quo ad Craniologiam, noviſſime a Cl. Doct. Viennenſi GALL quam maxime ornatam, quaedam haud ſpernenda loca paralela apud Veteres Anatomiae perſcrutatores inveniuntur. Ceterum hancce Doctrinam ſpecioſam magis, quam revera in ipſa cranii Conformatione fundatam esſe ex ipſisſimâ Viri doctisſimi confesſione conſtat, atque variis argumentis luculenter comprobari poteſt.

VI.

Veterum, inprimis VESALII, opinio os vomerem esſe osſis Ethmoidei Apophyſin fortasſe inde originem traxit, quod fere ſemper ambo haec osſa in pluribus quadrupedibus, canibus, felibus &c. intime per Synoſtoſin unita ſint.

XII. Ma-

VII.

Maxillam inferiorem in infantibus ex duabus compoſitam eſſe partibus eam ob cauſam, ut facilius inminueretur diameter capitis transverſa in pelvis tranſitu, tempore partus, recte ſuſpicatus fuiſſe videtur Amatisſimus Noster Praeceptor MULDERUS.

VIII.

Cerebri motus duplex exſtat unus arterioſus, alter venoſus cum reſpiratione analogus, minime vero cum cordis Syſtoli ac Dyaſtoli. Una enim in & exſpiratio quatuor pulſuum tempore peragitur; —— licet alias ambo isti motus certisſime a ſanguinis influxu deant.
pendeant .

IX.

Summa Perſpirationis inſenſibilis dignitas luculentius Pathologicis demonſtratur argumentis, quam Phyſiologicis. —

Calor nostro corpori communicatus copioſiorem materiae perſpirabilis ſecretionem atque evaporationem,

nem, fub fudoris nomine, producit; — verum ut liquor aliquis in vaporem mutetur, infigni principii calorici copiâ indiget, quod ut evolvatur, calor e viciniis abripitur, unde per calorici confumtionem fedatur corporis aestus, fi nempe fimul tollantur caufae calorificae. Hinc in Febribus Sthenicis tantum femper affert levamen calidus & aequabilis totius corporis fudor.

Nonne calor auctus in volis manuum ac pedum plantis, in Febribus Hecticis adeo fingularis, fed & in aliis licet minore gradu obvius, inde derivari posfet, quod istis in locis minores apparent pori cutanei, unde minor vel & tardior perfpiratio atque calorici confumtio, quam in ceterâ corporis fuperficie, in quâ non fentitur iste peculiaris caloris fenfus, propter copiofam atque magis expeditam fudoris fecretionem?

X.

Quod in Autumno, uti jam dixit Divus HIPPOCRATES *Aph.* IX. *Lib.* III. plurimi obfervantur Morbi gravisfimi, cito magnum adferentes periculum,

om-

omnemque Medici curam postulantes, apprime valet de Nostratium Febribus Bilioso-Gastricis cum aucta bilis secretione, aliisque plurimis, quarum causam primariam occasionalem praebet & aeris & patriae nostrae peculiaris conditio. In hisce autem circumspectus resolventium atque evacuantium usus maximum adfert levamen, citamque curationem.

XI.

Quidquid etiam obloquuntur Brunoniani rudiores, certe constat & aliquando e collectione sordium in primis viis produci Febres Nervosas. Cf. Cl. HUFELAND *Journal der Pr. Heilk. Tom.* XVIII p. 95. & ss.

XII.

In Febribus Nervosis ex communi Omnium fere Medicorum consensu nocet Venae Sectio.

XIII.

In Febrium Malignarum principio multum saepe confert V. S., ut pessima Symptomata subsequentia

avertantur, quia haud raro ſint Naturae Sthenicae; — hisce autem in caſibus praecipua Medici ſecuritas ab attentâ Epidemiae contemplatione dependet.

XIV.

In Morbis Aſthenicis magnam curae partem inplet vomitus, ſi cum prudentia ac virium tolerantiâ adminiſtretur; quando Tartarus Emeticus prae Ipecacuanna est eligendus, non tantum quia facilius, atque certius emeſin provocet, ſed quia, uti docuerunt noviſſima Cl. F. A. von Humboldt experimenta, ſpecifice quaſi in Nervos agat.

XV.

Niſi manifesta Gastricae complicationis ſigna dentur, Purgantia in Febribus Putridis & Nervoſis per ſe non conveniunt.

XVI.

In Febribus Putridis Aphthae in nostris regionibus haud raro criticae conſpiciuntur.

XVII. In

XVII.

In verâ Febre Continuâ Putridâ Cortex Peruvianus in principio nocet, & tantum convenit in ſtadio relaxationis, collapſusque virium vitalium. Contrarium vero obtinet, ſi ex perverſe tractatis Remittentibus gastricis oriatur Putrida.

XVIII.

Febris Catarrhalis, pro aegrotantium variâ conditione, est vel Synochus, vel Typhus; unde patet maxime eos errare, qui hisce in Febribus V. S. locum habere posſe plane negant.

XIX.

In Febrium Intermittentium, inprimis vernalium principio, ut plurimum nocet Cortex Peruvianus. Contrarium plane obtinet in harum Febrium ſpecie larvatâ, quam certo curat Cortex. Vidi talem quotidianam, mane cum dolore acutisſimo inſurgentem in

regione fupra-orbitali dextro; veficatorium locale & Cortex cito eam curabant.

In femina XXVI fere annorum, aliquot post partum hebdomadas talem quotidianam vidi cum liberali lochiorum fluxu tum iterum infurgente, quum antea fere fuerat fedatus. Mox autem inminuebatur fluxus ufu Corticis cum Vitriol. Mart. & Extract. Gentianae, erat vero tempore aeftivo fervido, unde fimul levior oriebatur Febris gastrica cum aucto fluxu alvino: — nihil interim feci, continuatus est Cortex, accedit vomitus aquae limpidae infipidae, & brevi curata fuit aegra.

XX.

Confenfus partium morbofus, licet haud raro parvo ftimulo excitatus, aliquando producit vehementisfimas Reactiones Confenfuales, & ad omnes propagari potest partes. Hinc uteri descenfus in primis post conceptionem menfibus, faepe totius corporis emaciationem producit, post praegresfa debilitatis, Syncopes,

&c.

&c. Symptomata, nisi per cautum pesſarii uſum praecaveatur.

XXI.

In provectiore graviditate haud raro propter uteri retroverſionem obſervatur Urinae ſuppresſio: — quo in caſu haud convenit catheter femina, propter mutatum veſicae atque urethrae ſitum, ſed magis incurvata, vel catheter maſculina.

XXII.

A fibrarum uterinarum diverſo evolutionis ordine unice, niſi accedat violentia externa gravidae illata, Partus tempus dependet.

XXIII.

Vaſa uterina graviditatis tempore minime elongantur ſed permanent arcuata & circularia. Dilatantur autem maxime, & huic quidem vaſorum dilatationi incrementum crasſitiei uteri adſcribendum videtur.

XXIV.

Si jam per aliquod tempus ante partum membranae foetum tuentes, ruptae fuerint, & dolores veri vehementer perſistant, nullus fere datur Haemorrhagiae metus.

XXV.

Colli uterini Atonia minus metuenda est, quam illa fundi & corporis hujus visceris, quia partibus posteriobus plerumque adhaereat Placenta.

Hinc non omnis Haemorrhagiae metus, istis in caſibus, quibus Atoniâ afficitur uterus, deest, licet ſtatim post partum non obſervetur.

XXVI.

Uteri obliquitas minime Partum difficilem reddere potest, niſi quando in partium adjacentium conformatione aberret natura, vel quando ſerius advocato obſtetricante jam nimis proſtratae ſint naturae vires.

XXVII. Uteri

XXVII.

Uteri obliquitatem dextram magis naturalem esſe quam ſinistram, & multo frequentius obſervari, ſatis explicari potest ex partium adjacentium ſitu.

XXVIII.

Experientia ſimul & ratione conſtat infantes, quorum matres per graviditatem ſolito diutius catameniis fuere obnoxiae in univerſum debiliores, & morbis magis obnoxios esſe, quam alios.

XXIX.

Vitam quodam ſub reſpectu privam in utero degit foetus, propriam habet Haematoſin, & ne guttula quidem ſanguinis rubri a matre ad foetum ope placentae tranſit.

XXX.

„ Pesſime ſtudiis ſuis conſulunt, qui ita recentio-
„ rum ſcriptis ſe emergunt, ut veteres vel negligant,
„ vel

„ vel contemnant, quum plerarumque rerum lux ex „ illis pendeat. Pleraque certe recentiorum inventa „ apud veteres per nebulam adumbrantur." TH. BARTHOLINUS, in *Epist. Med. Cent.* III. *Ep.* LXII p. 248.

T A N T U M.